



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||  
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per  
Quæstiones explicatur**

**Eisengrein, Martin**

**Ingolstadii, 1577**

**VD16 E 795**

XVI. V. Teneatur quis illud peccatu[m] in particulari confiteri, cuius post factam ia[m] Confessionem, recorrdatur se oblitum esse.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30362**

enim impeditur Absolutio, quia sufficit illa notitia; nec pœnitentia, quia non est imponenda ad æqualitatem, cum sit arbitraria; nec etiam consilium. Satis est igitur, si certum numerum pœnitens consequi nequeat, ut species peccatorum distinctas confiteatur, cum qualicumque coniectura numeri, ex circumstantiis peccatorum petita.

TER TIO, aliquando non est necesse adhibere diligentiam ad sciendum numerum. Verbi gratia, est meretrix, quæ fuit in lupanari decem annos, nunc conuertitur, & vult confiteri; satis est, si dicat peccata fornicationis hoc modo: Mansi in lupanari per decem annos, admittens cunctos; neque enim potest clariorem eius generis peccati facere manifestationem Confessario. Et idem de concubinario sentiendum est, nec non de illis, qui frequentissimè blasphemant; satis est, si dicant, hanc suam fuisse consuetudinem; ne faciamus eos mentiri. Et eodem modo de circumstantia magnitudinis rei furatæ; non est opus, ut ad ultimum usque quadrantem cognoscatur rei precium aut valor.

*Teneturne quis illud peccatum in particulari confiteri, cuius post factam iam Confessionem, recordatur, se oblitum esse?*

*Quæstio  
XVI.*

F 2

Si error

### Caput III. De Qualitate

*Responſio.* Si error fuit in numero notabilis, vt ſi dixit; decies & eo ſæpius eiufmodi peccatum commiſi, & poſtea recorderetur ſe commiſiſſe vices, certè tenetur id confiteri. Si autem nõ fit notabilis, vt ſi comperit ſe peccaſſe duodecies; non eſt neceſſarium, quia ſub dubio dicens, aut eo amplius, vices illas confeſſus eſt. Quare & hoc documentum, de non adhibenda diligentia nonnunquam ad ſciendum numerum, proxima reſponſione datum, grano ſalis condiendum eſt: Nam tanta eſſe poteſt frequentia, vt ſit confitenda: Quamuis enim duæ ſint mulieres, eodem tempore mente in turpitudinem paratiſſimæ; fieri tamen poteſt, vt vnius eiufdemque temporis ſpacio hæc decies tantum, illa millies peccet, & ſemper augetur peccatum in opere: Quare dicendum eſt; toties, aut paulò ſæpius mihi accidebat vno die, hebdomada, aut menſe, eiufmodi crimen deſignare.

Adde, quòd inter publicos latrones, qui in omne facinus parati ſunt, poſſit eſſe latum diſcrimen; Videlicet, vt vnus plurima maximaque latrocinia patrârit; alius verò non niſi rara, & forſan exigua. Quare non ſatis eſt dicere, in latrocinij ſcelere verſatus fui tanto tempore: Nam multitudo magnitudoque latrociniorum, circumſtantia eſt vehementer aggrauans.

Quapropter ſuffugium illud nominandi  
dun-

duntaxat tempus consuetudinis, intelligendum est, dum peccatorum numerus modum excedit, vt percenseri cuncta nequeat: Alioqui consultius est, numerum explicare. Dum modum, inquam, excedit; vt dum quis assidua consuetudine iurandi distractus, nequit periuriorum numerum inire. Aut concubinarius, qui perinde ac maritus, concubinæ amplexibus fruitur.

Cæterum si post temporis, quo in peccando perseverauit, fortè peculiaris alicuius obrepat recordatio; non tenetur illud iteratò confiteri: Sufficit enim, in genere illud comprehendisse, cum dixit, se quotidie similia perpetrasse.

*Suntne etiam circumstantiæ peccatorum necessariò confitendæ?*

*Questio XVII.*

**T**Riplices sunt circumstantiæ. Quædam minuunt peccata, aliæ aggrauant; aliæ verò, quæ nec grauant, nec minuunt, quas quidem antiqui non vocant circumstantias, vt diu nocturne peccare neq; eleuat neque auget peccatum.

*Responsio.*

Primi generis circumstantiæ si tales sint, vt faciant ex peccato mortali veniale; vel ex peccato, non peccatum, confitendæ sunt necessariò; aliàs committeretur mendacium. Vt si quis ex ignorantia inuincibili in incertum iaculando, vel cum tutamine inculpatae tu-